





REPETITIO MATERIÆ

383

DE

EXPENSIS,

QUAM

A. D. T. O. M.

SUB

PRÆSIDIO

Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi

VIRI

DN. JOH. OTTONIS TABORIS,

J. U. D. IN INCLYTA ARGENTINENSIVM ACADEMIA

Juridicæ Facultatis Senioris, Codicis & Consuetudinum Feudalium P. P. meritissimi, Dn. Mœcenatis, Præceptoris,

& hospitis ætatem colendi,

& venerandi,

venerandi,

*Publica eruditorum censura ventilanda*

*submittit.*

In auditorio majori.

Die 16 Decembris.

JOACHIMUS WICHMAN,

Hamburgensis.

*Author & Respondens.*



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPIL.

ANNO M. DC. XLIV.

1644, 8.

19

Geop. XXI



REPETITIO MATTERIAE  
DE  
EXPERIMENTIS

CHAM  
A. D. T. O. M.

FRASIO  
A. D. T. O. M. I. S. T. A. B. O. R. I. S.  
A. D. T. O. M. I. S. T. A. B. O. R. I. S.

WICHMAN

WICHMAN





Σὺν Θεῷ

THESIS I.



Ræter rem principalem, quæ in iudicium deducitur, non minor aliquando difficultas occurrit circa accessiones: quarum licet plura numeretur genera; vid. Coll. Arg. de re iudic. rh. 24. & seqq. nobis tamen hac vice utilissimam expensarum materiem generaliter perlustrare collibitum & constitutum est. Dirige tu mentem Christe Jehova meam.

2. Expensarum autem vocabulum (ut more scholarum usitato ordiamur) deducitur ab expendo, quod significat, erogo. Hoc verò ab ex & pendo, quod est vel soluo, ut pendere pecuniam, usuras, vel æstimo, ut magni, parvi pendo.

Etymon  
expensarum.

3. Etenim antiquitus ob nullum vel rarissimum pecuniæ usum l. 1. de contrah. emp. & Dd. ib. aut quia, procedente tempore Romani graviore utebantur numismate, æs communiter solebat appendi Plin. lib 33. cap 3. hinc appellatio paronymorum orta, pensionum, pensitationum impensarum & expensarum.

4. Licet autem vox expensarum & impensarum aliquando promiscuè sumatur: Hoc tamen differre videtur, quod vox expensarum sit generalior: impensarum autem rem aliquam subjectam includat, supponat aut certè designet. Quanquam Garsias tractatum suum voce expensarum alia de causa inscribere maluit, quasi ea magis sit forensis l. 1. de expens. n. 7. quod alijs dijudicandum relinquo.

Differètia  
inter ex-  
pensas &  
impensas.

5. Sunt autem expensæ nihil aliud quam sumptus in rem quandam facti l. 32. de rei vindic. r. r. de impens. in rem dotal. fact. Hæ alio nomine impendia vocitantur l. 46. §. lit. de Procurat. l. 44. §. fin. famil. herisc. l. 14. comm. divid. l. 7. §. ult. solut. matrim. nonnunquam sumptus l. 37. de petit. hered.

Definitio.

6. Expensæ vel sunt judiciales vel extrajudiciales.

7. Extrajudiciales quæ propriè impensæ dicuntur. Vmm. disputa- tio. 22. de processib. thes. 1. Sunt in triplici-differentia, autem enim sunt necessa-

Divisio  
expensarum  
&  
subdivisio  
in



necessariæ, aut utiles, aut voluptuariæ. l. 79. de V. S. l. 39. de petit. hered. l. 1. § 14. de impens. in rem dot.

Necessariæ  
71. 69.

8. Necessariæ sunt, (quemadmodum vox ipsa arguit) quæ cum necessitate quadam conjunctæ deprehenduntur, & nisi factæ, res peritura fuisset d. l. 79. de V. S. l. 1. § 1. de impens. quæque non ad præsentis temporis, sed ad perpetuam utilitatem pertinent. l. 3. § 1. de impens. in rem dot.

9. Exempla plurima occurrunt, utpote si ædificium ruens quis refecerit, oliveta dejecta restauraverit l. 1. § 3. de impens. aut si fructuum colligendorum, quærendorum, cõservandorumq; gr. erogarit l. 36. § ult. de petit. hered. l. ult. de impens. Si aggeres fecerit, flumina avertit, ædificia vetera fulserit, iter refecerit, arbores in locum demortuarum reposuerit. l. 14. de impens. in rem. si quis ex stipulatione damni infecti, ne committatur, præstiterit. l. 1. § ult. eod. si in valetudinem servorum impenderit. l. 2. eod. vid. l. 3. 4. 14. eod. si novam villam necessario extruxerit, veterem sine sua culpa collapsam restituerit. l. 7. § ult. solut. matrim. si nutrici ad educandum puerum quid dederit. l. 28. § 1. de donat. inter vir & ux.

Utiles.

10. Utiles sunt, quæ quidem rem ab interitu non vindicant, sed ad fructus augendos proficiunt. l. 5. § ult. l. 14. § 2. de impens. in rem dot. & melioré faciunt, non deteriorem esse non sinunt. l. 79. § 1. de V. S. id est, in eodem statu retinent. C. A. de imp. in rem dot. tb. 3. veluti si quis novellatum in fundo fecerit. l. 6. si pecora prædiis imposuerit, id est, stercoraverit. l. 14. § 1. eod. si vir in fundo mulieris dotali marmoreas lapicidinas invenerit & fundum fructuosiores fecerit. l. 7. § 13. solut. matrim. aut si, res, in quam erogatz fuerint, pro mercalis sit ac per ejusmodi impensas facilius & carius vendatur. l. 10. de impens.

Voluptuarias.

11. Voluptuariæ sunt, quæ neque rem conservant, neque augent, sed quæ saltem voluptatis & ornatus gratiâ fiunt l. 7. de impens. l. 79. § fin. de V. S. ut sunt viridaria, aquæ salientes, picturæ d. l. 79. balnearum constructio l. 14. § ult. de impens. scilicet non necessaria Wes. eod. n. 4. tectoria, pavimenta, l. 7. § ult. de usufr.

Considerantur in actu exercito.

12. Expensæ porro in actu exercito considerantur, quatenus servantur vel recuperantur l. 81. pro soc. Servantur vel per retentionem vel per ablationem l. 5. C. de rei vindic. Recuperantur actione.

13. Causæ, ob quas retentio conceditur, variæ recensentur Cujac. 2. obs. 8. § 18. 1aj. ad l. 28. § 4. de cond. indeb. Hodie in causa pignoris & impensarum necessariarum in rem dotalem & alienam, quæ petitur, factarum tantum locum habere monet Vuls. 1. de act. ad § ult. num. ult.

per

per l. unic. §. taceat C. de rei uxor act. vide Barbof. in l. post. dot. solut. marrim. parte secunda n. 14. l. 38. de pet. hered. l. 27. §. ult. de rei vind.

14. Retinentur autem impensæ & in iudicio reali l. 14. §. 1. Commun. divid. & personali l. 15. §. 1. de furt. l. 8. de pign. act. *Respectu retentionis.*

15. Tandiu verò retentio conceditur, donec melioramenta in rem utiliter, non immodicè facta, ne dominus rem pro derelicto habere cogatur, solvantur, Gail. 2. obs. 16. n. 6.

16. Quoad modum Retinentur vel per officium iudicis, vel exceptione doli l. 39. l. ult. de pet. hered. l. 48. rei vindicat. vel ipso iure l. 5. de impens. §. 33. l. de action.

17. Deducuntur aliter (1) in iudicio reali universali, aliter in singulari, (2) aliter à b. f. possessore, aliter à m. f. possessore.

18. Differt n iudicium universale à singulari: quod in illo non tantum corpora, sed & iura id est res incorporales veniant l. 18. §. 1. de hered. petis. In singulari saltem res singulæ sive individua l. 1. de rei vindic. & quidem res corporales petantur.

19. Petuntur impendia à possessore, qui vel b. f. vel m. fidei est. *B. f. possess.*

20. Bonæ fidei possessor est, qui rem à non Domino, quem dominum esse credidit, vel ab eo cui alienandi potestatem datam esse, arbitratus, legitimè & sine dolo est consecutus l. 109. de V. S. l. 33. §. 1. de usurp. vel dicitur is, qui animo & opinione domini possidet. *si quis.*

21. Possessio enim multas habet significationes. Coll. Arg. de acquir. poss. l. 2. modo strictè, modo latè sumitur. hic posteriori accipitur modo, & non tantum dicitur is possessor, qui animo sibi habendi rem detinet, sed & qui alieno nomine, absque veræ possessionis animo, ut usufructuarius l. 1. §. 8. de acquir. possess. l. 10. de acquir. rerum dom. rem tenet.

22. Malæ fidei possessor is dicitur, qui læsam possessionis conscientiam habet, seu qui sciens rem alienam possidet l. 20. §. 1. de petis. hered. l. 2. C. cod. *Mala f. possessor quis.*

23. Deducunt itaque & bonæ fidei & m. f. possessores impensas necessarias in iudicio singulari l. 48. de rei vindic. l. 14. §. 1. commod. divid. l. 5. C. de rei vind. Sed si possessor ex re petita fructus percepit patitur cogitur compensationem fructuum & sumptuum ad concurrentem quantitatem d. l. 48. l. emptori 65. de rei vindic. Sandeus lib. 3. 2. 15. de fin. 2. *Qui deducunt in iudicio singulari.*

24. In iudicio universali clarum & liquidum est de deductione necessariorum, à b. f. possessore in rem factarum, impensarum l. 38. de petis. heredis. De m. v. fidei possessore DD. terram litigij inter se trahunt.

hant, an eidem ἀπλῶς sive indistinctè, ἀνατὰ τὴν sive secundum quid, necessariæ adjudicandæ? Posteriolem sententiam *Bocerus Class. 5. de impens. in rem alien. fact. tb. 17.* amplectitur, si nimirum res melior facta sit & extet *d. l. 38. in f. de petit. hered. & Barb. in l. 8. divort. §. fin. n. 66. solut. matrim.* Priori adhærent *Harprecht in com. 1 de rer. divis. ad §. 30 n. 23. Freutl. 1. disp. 14. tb. 19. Scotan. in exam. jurid. de petit. hered. Lyclam. 7. mem. 6. & D. D. Frautz. in comm. D. de rei vind. n. 58. quid. l. 38. de pet. hered. in fin.* non de necessarijs, sed de utilibus accipiunt & interpretantur, quia necessarijs res propriè nec augeri nec melior effici, sed conservari dicatur. Quorū sententia mihi probabilior videtur, 1. propter dictam rationem, 2. propter *l. 36 §. fin. ubi m. f. possessorem servare posse sumptus necessarios asseritur* 3. propter verba *in d. l. 38. (in necessarijs & utilibus)* in capite ejusdem posita, quæ secundum ordinem declaranda: aliàs absurdum esset, favorabiliorem esse causam utilium, quàm necessariarū impensarum. Quamvis enim *J. Ctus* hoc jure stricto neget, attamè ex normâ æquitatis, qua nemo alterius jactura locupletior fieri debet, *l. 206. de R. 1. affirmare non dubitat, benignius n. est inquit, in hujus persona rationem impensarum haberi.* Nam si eas non fecisset, esset hæc negligentia ei imputanda *l. 54. ei qui §. fin. de petit. hered.* Si itaque ex necessitate fecerit, merito & justè ei succurritur. *Menoah. de recup. poss. 15. remed. n. 514. & 537. Barb. l. 8. divort. §. fin. solut. matrim. n. 59.* Et hæc de necessarijs.

*Circa utiles distinguuntur quoad m. f. possessore.* 25. Circa utiles distinguimus cum *D. D. Frantzky in com. ff. de rei vind. n. 90.* inter judicium universale & singulare. In judicio n. universali, quoties quæstio occurrit de m. f. possessore, dicendum, ipsum impensas, si res inde emolumentum nullum senserit, non deducere *per d. l. 38. de pet. hered.* quia nec forte dominus eas fecisset: si vero melior facta sit, deducere.

26. In rei vindicatione sive melior res facta sit, sive non, nullo modo deducere, nec servare posse exceptionem doli opponendo, *l. 5. C. rei vind. §. 30. 1. de rer. divis. Bocer. Class. 5. de impens. n. 19. Cujac. lib. 10. Obs. 1. Anton. Fab. 2. conject. 1. D. D. Frantzky in comm. ff. d. l. ubi vide rationem differentiarū inter judicium universale & singulare circa impensas utiles. & Gilken. de impens. part. 2. cap. 4. n. 43. & seq.*

*Ablatio n. 10.*

27. Ex æquitatis regulâ nihilominus ædificium vel alia res si sine dispendio vel læsione tolli possint, auferri ei permittitur *l. 37. de rei vind. l. 5. C. eod. nec obstat huic l. 7. §. 12. de acquir. rer. dom. ubi dicitur, quod is qui in alieno solo sciens ædificat, proprietatem ejus rei amittat.*



rat, neque diruto ædificio vindicatio ei competat. Verum distinguendum, an quis animo donandi, an negotiorum gerendorum, an suo nomine hoc fecerit? *si animo donandi proprietatem amittit d. l. 7. §. 12.* Si animo negotiorum gerendorum impensas actione negotiorum gestorum consequi potest. Si denique suo nomine ædificaverit, & rem possidet, tollere eam non prohibetur. *v. Vmm. disp. 22. de processib. n. 13.*

28. Bonæ fidei possessor impensas utiles servare potest, etiam si *B. f. possessor* res in quam collata, non extet *l. 38. de pet. hered. l. 27. §. ultim. l. 38. de rei vind. l. 11. C. cod. l. 33. de condict. indeb. l. 14. de except. dol. l. 14. §. 1. commod. divid.* *for utiles servat.*

29. Hoc vero cum limitatione quadam accipiendum, putà nisi *Cum limitatione.* Dominus adeo pauper sit, ut, si impensas reddat, latibus sepulcrisque avitis eicarendum sit *d. l. 38. de rei vindic.* Quo casu b. f. possessori ædificium tollendo, si sine læsione & detrimento fieri queat, consulitur. Permittitur enim inquit *J. Ctus*, tum ex ijs rebus, (quas scilicet imposuit, *gloss.*) tollere. si vero Dominus paratus sit tantum dare, quantum habiturus est possessor his rebus ablatis, fiet ei potestas: id est non cogitur pati, ut ædificium submoveatur, tollatur sive auferatur: rationem statim subiungit *Celsus*, scilicet malitijs hominum non indulgendum si putà tectorium corradere & perdere velit, hac viâ, nihil facit, quam ut officiat. Hoc autem contradictionem nullam implicat, quod dominus à solutione liberetur, quoniã paupertate laborat & argenti subsidio destitutus, si tamen meliorationibus abradendis satisfacere & reponere queat, non audiri pauperior debeat. Sed Respondendum quod dominus non teneatur offerre pretium expensarum, quantum æstimetur in cõcreto: ab hujusmodi enim solutione Dominus propter paupertatem in iudicio liberatur: sed quantum in abstracto: nam præsumitur, Dominum expensis & meliorationibus à re abstractis & seiunctis, quoad harum æstimationem satisfacere posse. *Tiraq. de retract. convent. §. 7. gl. 1. Mol. lib. 1. de primog. c. 26. n. 16 Barb. in l. divort. 8. §. f. n. 12.*

30. Circa voluptuarias denuo distinguendum inter petitionem hereditatis & rei vindicationem. In petitione hereditatis b. f. possessor eas *Non voluptuarias.* deducit *l. 39. §. 1. de petit. hered.* In rei vindicatione rerum distinguendum, an dominus eas factururus, an intermissurus fuisset? Si factururus fuisset, non simpliciter & absolute voluptuariæ sunt, sed utilibus comparantur. *Mysf. 1. de rer. divis. §. circa illud. D. D. Frantzky. in comm. ff. de rei vindic. n. 55.* Si vero easdem intermissurus fuisset, non deducit *l. 11. de impens. in rem dor.* Licitum tamen illi est tollere; dummodo non animo

animo malitioso fiat, ut neque sibi neque alteri profit, iuxta l. 38. de rei vind. (quo casu etiam ablationis æstimatio futura ut anteced. th. dictum, locum habet Gars. de expens. c. 1. n. 33. Menoch. de recuper. poss. 15. remed. n. 31.) & si sine dispendio aræ separari possunt. Si hanc separationem dominus pati recuset, servaricæ, integrum est l. 9 de impens.

Nec m. f. possessor.

31. Malæ fidei possessor nec in petitione hereditatis nec in rei vindicatione voluptuarias deducit, sed omninò perdit l. 39. §. 1. de petit. hered. l. 5. C. de rei vind. & donasse videtur Myns. l. de rer. divis. ad §. 30. Bach. ad 2. volum. Treutl. 20. §. 6. ipse Treutl. 1. volum. 14. th. 19.

Remedia sc. officium judicis & exceptio doli.

32. Servantur impensæ aut exceptione doli aut officio judicis, l. 14. §. 1. comm. divid. l. 14. de except. dol. l. 27. §. pen. de rei vind. l. 11. C. eod. l. 39. de petit. hered. l. 9. de impens. l. 48. de rei vindic. quam legem difficilem & controversam faciunt imprimis ea verba, exceptioe doli opposita per officium judicis, quæ Cujac. 10 observ. 1. & 2. Resp. Papin. p. 61. Bocer. Class. 5. de rei vind. th. 65. Borch. l. de rer. divis. §. circa illud disjunctivè legere malunt, hoc modo: exceptioe doli opposita, aut per officium judicis. Dissent. Treutl. volum. 1. disp. 14. th. ult. l. A. Ant. Fab. 2. conj. 1.

Quo tēpore opponenda.

33. Exceptio autem non tantum ab initio, sed & in quacunque judicij parte opponi potest. l. hujusmodi 84. §. 5. de legat. 1. l. 7. adeo de pact. l. 3. de rescind. empr. etiam in ipsa executione Vult. l. de act. §. ult. fac. l. 5. C. de petit. hered. Menoch. de recuper. poss. remed. 11. num. 10. exemplo aliarum exceptionum, quæ post sententiam, quam non directò impugnant, obijci possunt l. 41. §. ult. de re judic. l. 41. §. 1. de fidejuss. Gilk. in tract. de impens. part. 5. c. 2. n. 9. Socin. in l. 2. de compensat.

An actio competat?

34. Sed an ei etiam qui per errorem non deductis impensis, rem restituit, consuli possit? Negatur, quantum scilicet ad jus strictum, quia nulla directo actio est prodita l. 33. de condict. indeb. l. 14. §. 1. comm. divid. l. 14. de except. dol. Attamen quia æquitati contrarium est, ut alter alterius jactura locupletetur l. 206. de R. l. 14. de condict. indeb. l. 38. de petit. hered. ideoque si per errorem rem Domino restituit condictione incerti agere potest, ad repetendam possessionem Coll. Arg. de acquir. rer. dom. th. 37. Berbos. part. 2. l. 8. §. ult. num. 14. solut. matrim. quam tamdiu tetinere potest, donec sumptus restituantur. Harprecht. in com. instit. ad §. 30. de rerum divis. num. 47. fac. l. 15. §. 1. l. 40. pr. de cond. indeb. nisi exemplo l. 53. de cond. indeb. magis appositè & convenienter quis dixerit, rectà viâ, absque ambagibus & circuitione, condictionem expensarum esse dandam, vel propter utilitatem rei, utilem negotiorum gestorum actionem per l. 6. §. 3. de negot. gest. Scotan. in examine Jurid. de rei vindic. Peretz. in exposit. C. de rei vindic. num. ult.

35. Si vero alio modo possessio emiserit, deneganda illi est actio adversus Dominum : ne autem dispendium & detrimentum sentiat & incurrat, alia ratione ei consuli potest v. c. in emptione, si nimirum emptor rei, à non domino, b f. emptæ possessionem amiserit, postea re evicta à vero domino, agere potest adversus veditorem exempto, non tantum ad rei pretium & id quod interest l. 43. f. l. 11. §. fin. de act. empt. l. 70. de evict. sed & quanti interest, id est, sumptuum erogationem repetere potest, l. 45. §. 1. de act. empt. quo in sensu accipitur l. 9. C. de evict. modo sit extra culpam emptor.

36. Necessariæ impensæ in dotem factæ ipso jure, uti d., retinentur §. 37. I. de act. l. 5. de impens. in rem dot. eamque minuunt, adeo, ut ejusmodi pactum, de non petendo impensas necessarias improbetur l. 5 de pact. dotal. Quod verum est, si perpetuam respiciant rei utilitatem, & non pro tempore impendentis emolumentum, qua specie cum fructibus compensantur l. 3. de impens. in rem dot.

*Ipso jure retinentur necessaria in dotem facta impensa.*

37. Utiles tum deducuntur, si voluntate & consensu mulieris erogata fuerint, atq; aliunde solutio haberi non possit l. 8. eod.

38. Necessariæ, licet soluta sit dos, marito pariunt actionem l. 7. §. ult. solut. matrim. scilicet conditionem indebiti. Repetit enim dotem quasi indebite solutam l. 5. §. ult. eod. Hanc enim regulam inculcat Vult. I. de act. ad §. 16. n. 44. puta, ex quibus causis retentionem habemus ipso jure, eas si soluerimus, condicere possumus tanquam indebitas : quibus autem ex causis retentionem habemus exceptione opposita, eas, si soluerimus, condicere quidem possumus, sed non conditione certi, quia dominium non transtulimus, sed incerti. l. ex quib. caus. §. 1. de condict. indeb. Utiles a. hic repetit actione mandati, si mandato uxoris impensæ fuerint, vel negotiorum gestorum l. 7. §. 8. solu. matr. l. vinc. §. sed nec C. de rei ux. act.

*Actionem pariunt.*

39. Voluptuarias non deducit, nisi mulier maritum eas tollere prohibeat, tum verò ille habet exactionem l. 9. de impens. alias tantum aufert & submovet, si sint separabiles : sin vero separationem non admittant, relinquendæ sunt d. l. 9.

40. Recuperantur amplius aut ex causa contractus aut delicti. Ex contractu vel nominato vel innominato : nominato vel proprio vel improprio. E. G. Commodato, deposito & cæteris.

*Hactenus de deductione sequitur recuperatio ex Commodato.*

41. Commodatarius enim in rem commodatam, quoties impensas non modicas, sed notabiles, perpetuæ utilitatis gratia fecit D. D. Frantzk. in com. ff. commodat n. 61. recuperat l. 18. §. 2. commod.

B

42. Di-

42. Dixi non modicas, si enim modicæ fuerint, naturali ratione ad eum pertinent, qui utendum accepit *d. l. 18. §. 2 commodat.* Modicæ autem videntur, quæ minores æstimantur, quam commodum ex re perceptum *arg. l. 1. §. ult. de pignorb. l. 7. §. ult. solut. matrim. C. Arg. commodat. th. 18.*

43. Utiles impensas, si commodator ferre possit, ut non cogatur propterea rem distrahere vel alienare, commodatarius jure repetit: *arg. l. 25. de pign. act. Boc. class. 2. disp. 9. d. 31. vel si inchoatas à domino absoluerit, aut voluntate ejusdem inchoaverit D. D. Frantzky. in comm. ff. commod. n. ult. Donell. 14. Comm. 4. in fin.*

44. Potest tamen Commodatarius impensas hujusmodi consequi jure retentionis vel quasi pignoris *l. 15. §. 1. l. si u. 59. de furt. vel etiam actione contrariâ, si scilicet in potestatem commodantis res vicissim venerit l. 17. §. 1. l. 18. §. commodat. Donell. ad rubric. C. eod. n. 22. Trentl. 1. disp. 24. th. 4. Bocer. Class. 2. de commod. th. 26. Harprecht. in comm. Inst. quib. mod. re contr. ad. §. 2. n. 69.*

*Deposito.*

45. Depositarius, si in rem apud se depositam utiliter vel necessario impendium fecerit, potest illud, quod sibi abest, quo indemnitas servetur, actione depositi consequi *l. 5. l. 8. l. 23. deposit. Boc. class. 2. de depos. th. pen. C. Arg. eod. th. 20. officium enim ipsi damnosum esse non debet per l. 7. quem ad. test. aperiunt.*

*Pignore.*

46. Cum Creditor tanquam diligens pater familias rei obligatæ curam adhibere teneatur *l. 14. de pign. act. §. ult. Inst. quib. mod. re contr. utriusq; n. utilitas vertitur l. 5. §. 2. commod. non injustum est, ut impensas necessario in rem pignoratam factas vel erogatas, aut beneficio retentionis servet, aut actione repetat l. 8. pr. de pign. act. l. 7. C. eod.*

47. Utiles non aliter repetit, quam si vel expressa vel præsumpta domini voluntate fecerit, aut si debitori sumptus non sint onerosi, ut propterea rem pignoratam vendere vel distrahere cogatur *l. 25. de pignor. act. arg. l. 8. ibi iniquum non esse, de impens. in rem dot. fact. Boc. class. 2. de pignor. & hypothec. th. 50. Andr. Scheffer 1. quest. 43. Iudex enim ex circumstantiis hæc mensurabit: appositè & eleganter Ictus, d. l. 25. de pignor. act. inquit, à judice hæc ita dispicienda erunt, ut neq; delicatus debitor, neque onerosus creditor audiatur, ut sic sibi eligat quandam medietatem, aut Temperamentum: cujus rationem prudentissimi Jcti semper habuerunt, ut ex l. 3. si pars hered. per. patet vid. Cujac. 10. obser. 4. Merill. 1. obs. 6.*

*Emptione  
& venditione.*

48. Venditor (ad quem periculum venditæ, nec dùm traditæ, empti-

emptione purè facta, spectat §. 3. l. de Empt. Vend.) si ad conservatio-  
nem rei bona fide sumptus fecit, repetet l. pen. C. de act. empt. tam  
necessarios, quam utiles, quos constat emptorem velle impendi l. 13.  
§. 12. ff. eod. etiam si res, in quam facti, amplius non exstet d. l. 13. §. 22. ff.

49. Conductor ut rem non deterioratam, locatione finitâ, resti-  
tuere debet l. 48. §. 1. locat. conduct. §. penult. inst. eod. l. 29. C. eodem  
Sic indemnis vicissim à locatore præstetur, oportet. Indemnitas au-  
tem duo respicit 1. si damnum sit passus. 2. si impensas fecerit D. D.  
Franz. in commens. ff. locat. conduct. n. 158.

Condu-  
ctione.

50. Distinguendum autem circa impensas, an illæ fructuum  
colligendorum gratia sive conservandorum ad certum tempus factæ  
quas non repetet, siquidem ejus saltem utilitatem & commodum re-  
spiciunt, concernunt, & referunt; si modo sint modicæ (quas nonnul-  
li ad duos aureos restringunt per l. 10. de dol. mal. Menochius, hoc impro-  
bans, arbitrio judicis relinquendum asserit, de arbitr. jud. lib. 2. cent. 2.  
cas. 145. n. 2. & cent. 3. cas. 215. Barbos. ad l. 8. divort. §. fin. n. 36. solut.  
matrim. Munnoz. de Esc. deratiotin. administ. c. 25. num. 58.) Modicum  
enim damnum æquo animo ferre debet l. 25. §. 6. locat. conduct. An  
perpetuæ utilitatis causam conjunctam habeant? tum & necessarias  
& utiles repetet l. 55. §. 1. l. 61. eod. Cuj. 10. obs. 4. in fin. Treutl. 1. vol. disp. 29.  
§. 7. l. B. Menoch. supr. alleg. loc. Hunn. in resol. ad Treut. disp. 29. vol. 1. §. 7. q. 22.

51. Competit autem conductori jus retentionis rei locatæ, puta, si  
mercedem solverit l. 14. de except. dol. vel si nondum solverit, deductio  
mercedis etiã sine judice, dummodo liquidæ sint Coler. 1. de process. exec.  
c. 2. n. 240. & seqq. D. D. Franzk. in comm. ff. locat. conduct. n. 170.

52. Impensas ab altero sociorum b. f. factas alter agnoscere te-  
netur. l. 38. l. 52. §. 12. & 15. l. 67. §. 2. pro soc. Wes. in paratit. n. 12. eod.  
Boc. clas. 2. de Societ. thes. 49. Coll. Arg. ibid. th. 25. Menoch. de arbitr.  
judic. cas. 127. Constante scilicet & durante adhuc societate: soluta si-  
ve distractâ, si quid impensum fuerit, hac actione non consequitur,  
sed communi dividundo, quia societas non amplius intelligitur, l. 65.  
§. 13. pro soc.

Societate.

53. Societas autem vel est universalis vel singularis. l. 5. pro soc.  
universalis vel dicitur specialiter omnium bonorum l. 3. §. 1. eod. vel  
simpliciter bonorum. l. 7. eod. quæ & generalis vocari poterit.

54. In societatem omnium bonorum an sumptus in filium stu-  
diorum causa erogati sive in dotem filix facti imputandi? disceptatur.  
Quamvis infinitæ fluctuantium & dissentientium opiniones recense-

ei & proponi possint: tamen pro instituti ratione, satis erit, affirmantium sententiæ calculum adicere. per l. 73. § ult. pro soc. & arg. l. 12. cum duob. § ult. eod. Nec impedit l. 81. d. t. pro soc. si inducatur juxta præscriptum. Coll. A. d. tit. thes. 25. num. 7. paulò aliter Bachov. d. disputat. 27. ad Treutler. th. 8. lit. H. add. infra th. 81.

*Mandato.*

55. Quoad Mandatum, licet illud, tanquam unice à voluntate & præscripto mandantis dependens, mandatarius præcisè expedire teneatur l. 6. § 1. mandat. & quidem gratuito l. 1. §. 4. eod. quia tamen originem ex officio & amicitia trahit l. 1. §. 4. l. 36. §. 2. ff. eod. ideoque expensas, quas in exequendo mandato fecit, restituere cogitur l. 4. C. eod. Æquum enim est, ne mandatarius damno afficiatur l. 15. ff. eod. modo fines mandati non excesserit l. 5. eod. §. 8. inst. eod.

56. Damnum verò sentit, si impendia, quæ reponi debent. l. 12. § 9. eod. nō restituantur: nec attendendū, an negotium sit expeditum vel effectui datum l. 56. §. ult. eod. aut minori impendio id mandator expedire potuerit l. 27. §. 4. aut utile mandatori fuerit: modo culpæ mandatarius expers l. 4. C. eod. Eventum enim ipse præstare non debet. Perez. in exposit. Cod. n. 12. mandat.

57. Non omittenda est hic elegans quæstio, quàm Jctus tractat in l. inter. 26. §. 6. mandat. Si mandatarius iter facere cogatur & in itinere à latronibus spoliatur vel languore suo suorumque adprehensus, quid erogarit, an mandatori hos sumtus imputare & ab eo repetere possit? Negat quidem Jctus eâ ratione, quod hæc magis casibus, quam mandato imputanda sint. Sed eum textum Pragmatici, ut nimis subtilem ex curialitate abrogatum esse tradunt. Mornac. in observ. ad d. l. 26. ubi aliquot præjudiciis rem illustrat. Bern. Autumnus in censur. Gallica p. 265. Nos autem malumus distinctionem sequi Alberici, Azonis & aliorum glossatorum in l. 52. §. quidam sagariam 4. pro soc. add. D. D. Frantz. de mandat. n. 59.

58. Consequitur hosce sumptus b. f. factos contrario mandati judicio l. 12 §. 6. & 9. mand. quod etiam antequam exequatur mandatū, ad hoc, ut, sumptus necessarij subministrantur & præstentur, institui potest l. 12 §. ff. eod. Wesenbec. in paratit. 16. num. 11. D. D. Frantz. in comm. ff. eod. n. 90. Quæ autem impendia, refusionem non patiant. vid. Coll.

*Negotiorū gestione.* Argent. h. t. 40.

59. Negotium gestor impensas utiliter factas contrario judicio repetere potest l. 25. l. quæ utiliter l. 45. de neg. gest. nam sicut æquum, est, actus sui rationem reddere, ita justum est, si utiliter gessit, præstare ei, quod.

ei; quod abest l. 2. eod. Abesse autem intelligitur, si in negotium alie-  
num utiliter quid impenderit, scil. in curando servo non inutili, in re-  
ficienda domo l. 10 § 1 eod.

60. Enimverò sufficit utiliter capisse, quamvis effectum nullum  
habuerit l. 10 § 1. l. 12. §. ult. eod. Harprecht. in comment. instit. de oblig. que  
quasi ex contr. ad §. 1. num. 13. Mynsing. l. eod. Bocer. class. 3. de negot. gest.  
th. 30.

61. Non repetit voluptuarias l. 27. de neg. gest. item, quas donan-  
di animo fecit l. 4. eod. Præsumitur autem animus donandi, si pietatis,  
charitatis, aut amicitiae intuitu & ratione impenderit l. 1. l. 5. l. 11. l. 12. l. 15.  
C. eod. l. 44. ff. eod. C. Arg. ibid. th. 43. Harpr. in com. l. d. l. num. pen. Perez.  
in expos. C. de neg. gest. n. 6. & ibi Scotan. in exam. jurid. quest. ult.

62. Quo facilius tutores onus tutelæ in se recipiant, Prætor pro- *Tutela ge-*  
posuit, ut pupilli iisdem ex administratione obligarentur l. 1. pr. de *st. one.*  
contr. act. tutel. unde actio contraria §. 2. l. de oblig. que quasi ex cont. l. 1.  
§. 2. de contr. act. tutel. quâ consequitur id, quod ei ratione officii abest  
l. 3. eod. Perez. in Expos. Cod. ibid. n. 1. in quo potissimum b. f. spectanda  
Myns. l. ad §. 2. de oblig. ex q. contr. num. 6. Vult. eod. num. 10. Wesenb. in paratit.  
de contr. act. tut. num. 4. dum tamen modum in erogandis sumptibus  
servent l. cum plures 12. §. 2. de administ. tut. immodice enim factas im-  
pensas iudex non admittet Bart. in l. 2. ff. ubi pupill. educ. deb. cujus ar-  
bitrio hoc relinquitur Menoch. de arbitr. judic. cas. 215. ipse namque per-  
sonæ & rei qualitate ponderatâ & consideratâ, an plus, an minus ero-  
gatum sit, arbitrabitur Damhaud. de tutel. fol. 52 n. 20.

63. In rem communem, si alter b. f. aliquid impendit, refunda- *Communi-*  
tur æquum est. Communio verò vel est rei universalis vel singularis, *nione.*  
In communione rei universalis si hæres aliquid b. f. impenderit à co-  
hæredè consequi poterit l. 18. §. 3. l. 39. l. 1. famil. hercis. si scilicet animo  
hæredis fecerit aut negotium gesserit Perez. in Expos. Cod. famil. hercis.  
num. 8. Sumptusque utiliter & necessario, non voluptuariè erogaverit.  
In communione rei singularis si alter aliquid necessariò impenderit  
alterum obligatum habet §. Inst. de oblig. q. ex contr. l. 3. comm. divid. l. 4.  
C. eod. si nimirum communi nomine gestum l. 6. §. 2. eod. & non vo-  
luptatis causa C. Arg. ibid. th. 7. impensum sit: nec refert an res extet, an  
interierit l. 11. l. 25. eod. Coll. Arg. ibi. th. 6.

64. Hæc de contractibus nominatis propriis & impropriis de- *Contractus*  
libasse sufficiat. In contractibus innominatis impensæ actione præ- *Innomina-*  
scriptis verbis repetuntur l. 5. §. 4. de præscriptis verbis. *te.*

B 3

6. Ex.



*Delicta.*

65. Sed ex delicti etiā causa impensarum fit deductio, verbi gratia si in damnū dolo & culpa l. 30. §. 3. ad L. Aquil. §. 3. l. eod. etiam levissima. l. 44. eod. Gail. 2. obs. 22. nu. 2. datum, sumptus quis fecerit, eosdē ab adversario actione L. Aquiliae. l. 7. in prin. l. 27. §. rupis. 17. l. 33. eod. c. 1. ext. de injurijs. rursus consequitur Wesenb. in parat. eod. n. 6. Boc. Claß. 4. disp. 2. th. 32. Coll. Arg. ad L. Aquil. th. 15. Myns. decis. 6.

*Ex aliis  
causis ge-  
nerali a-  
cquiratis  
ratione  
pollentib.  
ut funeris.*

66. Præterea occurrunt etiam sumptus, qui non ex speciali causā contractus aut delicti propriè manant, sed ex generali causa æqui & boni l. 14. §. 6. de relig. & sumpt. ut sunt sumptus in funus facti. Wes. in π. de relig. & sumpt. num. 6. Quorum modus servandus est. d. l. 14. §. 6. pro ratione facultatis, dignitatis & ipsius rei, quæ ultra modum in causā consumitur d. l. 14. §. 6. l. 12. eod. ita autem ne defunctus injuriā afficiatur l. 14. §. 10. eod.

67. Referuntur inter sumptus, quicquid corporis causa, (veluti unguentorum) erogatum sit, pretium item loci ubi defunctus humatus est, vectigalia & vectura & c. l. 37. eod. itē si quid ad corpus custodiendum factum sit. l. 14. §. 4. His annumerantur sumptus Medicis Chirurgis & Pharmacopolis facti Harprecht. in comment. instit. quib. mod. re contr. ad §. ultim. num. 255. Berlich. 1. conclus. 64. num. 87. & seqq.

68. Repetuntur hi sumptus actione funerariā l. 14. §. 6. de relig. & sumpt. Hæc à Prætoribus est introducta l. 12. §. 2. eod. D. D. Franzk. ibid. n. 25. C. Arg. eod. thes. 18. & sic privilegiata ut omne creditum præcedat. l. pen. eod. Bachov. ad volum. 2. Treutler. disputat. 24. l. G. Wesenb. in parat. qui pot. in pign. num. 3. Harprecht. l. supr. alleg. num. 247. D. D. Franzk. in comm. ff. qui pot. in pign. num. 11. Gars. in tractat. de expensis cap. 8. num. 18. Coll. Arg. d. l. th. 30. Non tantum Jure Civili, sed & Saxonico per Const. August. Elect. part. 1. constit. 28. §. nach dem jetzt berührten & c. Joann. Beuth. in tractat. de jure prelat. part. 2. cap. 9. Berlich. dict. conclus. 64. numer. 54. part. 1.

69. Hæc actio autem locum non habet quoties alia suppetit v. c. famil. hercisc. l. 14. §. 12. de relig. & sumpt. item si pietatis causa sumptus l. 12. §. 7. eod. aut è diverso in contumeliam defuncti modicus erogatus sit. l. 14. §. 10. eod. Scot. in Exam. jurid. de relig. & sumpt. quest. ult.

*Altera  
pars Tra-  
ditionis:  
de expensis  
judicialib.*

70. Hactenus de expensis extrajudicialibus; sequuntur judiciales. Quæ propriè & magis usitatè indigitantur expensæ, ut ex rubric. C. de fruct. & tit. expensis apparet. Dicuntur hæc itidem impensæ §. 1. l. de pan. temp. litig. impendial. 46. §. 6. de procurat. & sumptus in litem facti. l. un. & tit. C. de sumtuum recuperatione. lib. 10. tit. 67.

71. Sunt



71. Sunt autem vel voluntariæ vel necessariæ *Bocer. class. ult. disp. de lit. expens. th. 4. Coll. Arg. th. 120. de judic.*

72. Voluntariæ sunt, quas pars litigans sponte, non coactè impendit, quæ & delicatæ dicuntur; harum ratio non habetur *Geil. 1. obs. 151. Coll. Arg. de re judic. th. 28.*

73. Necessariæ sunt, sine quibus lis perfici non potest. Harum iudex rationem habere debet, si moderatè fiant & legitime circa liti instructionem & persecutionem, ne plus æquo partem victam gravent *Bocer. de lit. expens. th. 6.* Earumque quadruplex à DD. constituitur differentia *Geil. dict. obs. num. 2.* Quædam enim fiunt ad instruendum processum: quædam pro examine testium: quædam iudicibus dantur, quæ sportulæ audiunt: quædam executoribus. *v. Rammergerichts Ordn. part. 3. tit. 51. §. weiter soll.*

74. Debentur hæ expensæ vel ante vel post litem contestatam ANTE, ob citationem temere factam *cap. 1. in 6. de dol. & contum. l. 79. de judic.* Has Ferrarius *in form. libell. in act. real. num. 3. in f.* vocat expensas temerariæ citationis POST LITEM CONTESTATAM, vel ratione contumaciæ, vel retardati processus vel victoriæ. Ob contumaciã tam actoris, quam rei *c. idem quoq. ext. de dol. & contum. l. 15. C. de jud. Sichard. adh. l. num. 5. Bocer. d. disp. th. 14.* Quando enim citatus non comparebit in iudicio, tunc iudex eidem ulteriorem audientiam concedere non debet, priusquam contumax adversario vigilanti damna restituerit *l. Sancimus C. de judic. fac. c. quoniam §. in aliis. extr. ut lit. non contest. c. ult. de rescript. 2.* ob retardatum processum *l. 4 C. de fruct. & lit. exp. in verb. si actioni minimè adfuerit. Auth. qui semel C. quomodo & quando iudex. Lanfranc. in jur. præf. c. 11. de expens. num. 26.* cum scil. ad sufflaminandum iustitiæ cursum & processum, exceptiones frivolæ cum manifestâ malitiâ opponuntur. *c. finem 5. extr. de dol. & contum. 3.* Ratione victoriæ, victus (scil. qui injustè & improbè litem movit) in expensas condemnandus *l. 13. §. 6 C. de judic. Auth. generaliter. C. de Episc. & Cler. Treutler. vol. 1. disp. 12. th. 16. Coll. Arg. de re judic. thes. 25. & seq. Bocer. Class. ult. disp. 30. thes. 14. Myns. 1. observ. 23. & 45.* Hanc causam alii clariùs temeritatis appellant, cum scil. quis, tanquam temerè litigans victus & condemnatus fuerit. Hic enim liti sumptus victori redderentur *l. eum 79. de judic. c. 1. extr. de dol. & contum. Ioh. Bapt. Afm. in præx. judic. §. 32. c. 2. ampl. 16.* Si verò iusta & probabilis causa fuerit compensantur *Nov. 82. l. pen. §. 1 C. de fruct. & lit. expens. sive quisque litigatorum suas sustinet Harprecht. in comm. Inst. ad §. 1. de pæn. temer. litig. num. 100. Vult. ibid. n. 19. Geil. 1. obs. 151. num. 23. Perez. in expos. C. de fruct. & lit. exp. n. 7.*

75. Cæ

Quæ vel  
delicata.

Necessariæ.

Hæ debentur  
vel ante  
vel post li-  
tem conse-  
statam.

Vel post li-  
tem conse-  
statam.

75. Cæterum regula ista (victus victori in expensas condemnatus) tum maximè procedit, si expensarum refusio fuerit petita: sed et si disertè hoc non petitum fuerit, poterit nihilominus iudex victum in expensas condemnare *Geil. 1. obs. 151. num. 21. Myns. 4. obser. 55. Martin. Schuck. ord. disputat. 19. ad inst. thes. 6. l. B.* propter clausulam illam salutarem libellis hodiè inseri solitam, peto mihi jus & iustitiam administrari *Harprecht. d. l. num. 103. Schneidvv. ad §. 1. inst. de act. num. 128. Goddæ. de V. S. ad l. 7. num. 11. Cov. arr. lib. pract. quest. cap. 27. num. 5. Perez. in expos. C. d. loc. num. 4.* Quàm clausulam, herbam betonicam, quæ omnibus infirmitatibus medelam præstat, appellat *Munnoz. de ratiocin. admin. 6. 38. num. ult.* Wesenbecius autem ad §. 1. l. de pæn. tem. litig. autumat id fieri non posse, cum nemini plus sit adjudicandum, quam petat: verum sententia eius hac clausula salutari evertitur *Vult. loc. all. n. 21. add. l. 13. §. 6. l. 15. C. de judic. l. edil. 25. de Edic. Edict. l. cum fundus 21. de reb. cred.* Petuntur autem iudicis officio *l. terminato. C. de fruct. & tit. expens. & quidem mercenario Bocer Class. ult. disp. 10. th. 12.*

76. Hoc singulariter mente tenendum esse, Dd. ajunt, quod is, qui in possessorio summarissimo obtinuit, postea in petitorio causa cadens ad restitutionem expensarum non debeat condemnari, per *l. 79. de judic. & alias rationes, quas post Geil. 1. obs. 63. num. ult. Bertich. 1. decis. 7. novissimè cumulat. Carpz. 1. Resp. 18. num. 4. & seqq.* quod me aliquando à Clariss. Dn. Præs. in cœna didicisse non diffiteor.

De petitione expensarum contumacia.

77. Quomodo expensæ contumaciæ peti debeant inter doctores acri conflictu disceptatur *Geil. 1. obs. 151. num. 14. Myns. 4. obser. 48.* & alij, putant actione in factum exigi, per *l. 4. si quis jus dicent.* Bocerus has officio iudicis peti docet *d. disput. th. 54. per l. 15. C. de judic.*

78. Priorem, quæ ex *l. 4. si quis jus dicent & c.* dicitur, sententiam, sequentes impugnant rationes (1) quia hoc iudicium datur in illos, qui contemptores jus dicentis existunt *Wes. ibid. num. 3.* Contemptores autem hic intelligantur, qui extremum non fecerunt *l. unie. §. 1. eod. extremum v. vocant D. D. Frantzk. in com. ff. ibid. n. 3.* executoriale, i. e. ultimum sine quo procedere amplius non potest, scilicet qui rem in petitorum transferri prohibet *Bichov. in com. ad §. 1. hic n. 6.* 2. competit actio hæc Magistratibus, non litigantibus *arg. pr. d. t. utilitatis tamè causa, quo Magistratui auctoritas servetur, cui vis ex populo datur Coll. Arg. ibid. n. 3. exemplo albi corrupti l. 7. de jurud. Cujac. 24. obs. 25.* 3. Est hæc actio pœnalis & metam continet pœnã, etsi non intersit agentis *§. ult. eod.* Secus hic se res habet: si quidem, hic saltem refusio sumptuum

sumptuum consideratur non pœna. 2. non cuius competit, sed saltem alteri litigato rum, qui suum interesse quærit. E. altera sententia, scil. Boceri, quam veriore etiam C. A. de re judic. th. 30. in fin. pronunciat, amplectendam duco.

79. Haftenus consentanea: sequuntur dissentanea, seu quibus modis deductio impediatur.

Dissentanea seu quibus casibus sumptus non deducantur: ut Ratione studiorum.

80. Sumptus in filium studiorum ergo collocati, non repeti congruum est. (1) quia pietatis causa erogari intelliguntur, cum Patrens liberos suos, ut alere, sic & institui curare, suis sumptibus, teneatur. arg. s. t. de agnosc. & alend. liber (2) Præsumitur animus donandi, qui inde colligitur, quod Parens filium ad Academias mittens, videatur se obligare ad sumptus faciendos: qui enim vult consequens, vult & antecedens l. 2. de jurisd. vid. Barb. solut. matrim. ad l. 8. §. fin. n. 23. Nisi credendi animo, Parentem sumptus administrasse, probetur l. 50. famil. hercisc. (3) Impensa hæc quodammodo est æs alienum & liberis debetur, ideoque æquius est, ut non conferatur Wesenb. in paratit. de coll. dot. num 3. Treutler. volum. 1. disp. 19. th. 13. l. B. (4) Propter publicam utilitatem sumptus isti non sunt conferendi. Publica enim privatorum commodis sunt præferenda Auth. res quæ C. commun. de leg. at ut literis plures dent operã, interest Reip. sine illis n. rectè administrari Resp. nequit. v. proœm. I. Auth. habita C. ne filius pro Patr. E. & sumptuum, qui literarum nervus & falcrum sunt, subministratio necessaria. v. Cujac. 3. obs. 30. Schneidvv. 1. de act. ad §. quedam actiones. Tholoß. lib. 44. syntagm. n. 44. Arum. disput. Pand. 8. th. 15. Hillig. in tract. de expens. studior. n. 44. Coll. Arg. famil. hercisc. th. 18. Garf. in tract. de expens. c. 4. n. 6. Menoch. lib. 3. præsumpt. 30. n. 16. Cothm. respons. 16. vol. 4.

80. Porro non deducit sumptus Fur l. 1. C. de infant. expos. (1) quia quotidie furtum facit l. 67. de furt. (2) ad æstimationem ipsius rei, & suis sumptibus, quanti plurimi fuerit, tenetur l. 13. de condict. furt. (3) in perpetuã morã est l. fin. eod. Si autem sumptus deberentur his non solutis, justam excusandi causam haberet. (4) propter delicti gravitatem, quod ex impositione pœnæ mensuratur. Menoch. de recuper. poss. 15. num. 516. Hoc singulariter in odium furum constitutum est, ut non eodem jure, quo cæteri m. f. possessores, gaudeant, Harpr. in comm. inst. de rer. divis. ad §. 30. n. 24.

Furti.

81. Iterum non deducuntur impensæ, quæ compensari possunt. Compensatio autem hæc in omni possessore locum habet, ut fructuum ratio habeatur, quorum æstimationem vel summam si excedant, superfluum sumptum, restituere possessor tenetur l. 48. de rei vind.

Compensationis.

C

82. In.



82. Intelliguntur autem fructus, qui è re ipsa & vi naturali  
quæriti, non ex meliorationibus *Gilk. in tract. de impens. p. 2. c. 5. num. 21.*  
Alias manifesta insurgeret iniquitas, si ex meliorationibus & ejus fru-  
ctibus teneretur compensationem præstare (cum non ex re aliena, sed  
ex propria percepisse dicatur *Menoch. d. l. n. 610.*) & sic quasi ex suo sibi  
ipse solvere *Garf. de expens. cap. 23. num. 54. Munnoz. de computat. c. 13. n. 4.*  
*Negus. de pignor. 4. membr. 5 part. num. 20. Diss. Barb. solut. matrim. ad l. 8. §.*  
*fin. num. 49. & seqq.*

83. Distinguendum autem inter iudicium universale & singu-  
lare: item inter possessorem, circa fructuum considerationem.

84. In iudicio universali b. f. possessor, non soluta exstantes, sed  
& consumptos, quatenus ab iis locupletior factus est. *l. 20. §. 6. l. 25. §. 11.*  
*l. 10. de petit. hered. Donell. lib. 19. cap. 14. Bocer. de petit. hered. thes. 29. class. 5.*  
*M. f. possessor non tantum perceptos, sed & percipiendos l. 25. §. 4. eod.*  
*Coll. Arg. ibid thes. 56. D. D. Franzk. in comm. ff. de petition. hered. num. 26.*  
In singulari bonæ f. possessor extantes tantum *l. 22. C. de rei vind. l. 4.*  
*§ post litem fin. regund. Cuiac. 11. obs. t. 34. Vult. lib. discept. schol. c. ult. Barb. f.*  
*solut. matrim. ad l. 8. pr. n. 47. ceteros suos facit tanquam rei Dominus*  
*l. 48. pr. de acquir. rer. domin. l. 25. §. 1. vers. porro. de usuc. Menoch. d. l. nu. 579.*  
*Ceph. cons. 63. n. 20 lib. 1. m. f. possessor omnes restituit d. l. 22. C. de rei vind.*  
*l. 17. §. 1. l. 33. ff. eod. Perez. in expos. Cod. num. 17. Cuiac. in lib. 21. Pauli ad*  
*Edict. Menoch. de recuperand. poss. remed. 1. num. 414. Bocer. class. 5. de acquir.*  
*domin. thes. 18. confer thes. 19. & seqq.*

85. Ratio differentia est, quod in iudicio universali pretium  
succedat in locum rei *Wesenb. in comm. instit. de rer. divis. ad §. 30. si quis à*  
*non domino l. 16. §. 1. de pet. hered. l. 21. de hered. vend. secus in iudicio singu-*  
*lari, ubi fructus non rei, sed causæ appellatione veniunt. l. 68. de rei vind.*

*Contractus*  
*Emphyt.*

86. Deniq; nõ repetit emphyteuta, etsi emphyteusis sine culpa (puta  
si tempus effluxum, vel si ad certam generationem data, eaq; extincta)  
fuerit finita: ratio est, quia emphyteusis (quæ admodum ex ipsa voce clarum  
est, desc. enim ab ἐμψυτεύω infero, unde ἐμψυτεύω implantatio & me-  
lioratio, hinc contractus meliorationis à gloss. *Novell. 7. cap. 3. §. 2. ad*  
*verb. meliorat. dicitur) ad meliorandum datur sive instituitur, quare*  
meliorationes in primis spectant ad emphyteutam non ad Dominum.  
2. datur ut Dominus liberetur à sumptu, quod fieret, si Dominus  
sumptum reddere necessum haberet. 3. conceditur plerumque ob exi-  
guam mercedem, ideo æquum est, ut emponemata cum fructibus com-  
pensentur, nisi solitam meliorandi rationem excedant, tum emphy-  
teuta

teuta non defraudandus *Gars. de expens. cap. 7. num. 23. Menoch. remed. 17. num. 503. Borch. de feud. c. 3. num. 31. Gilk. in tract. de impens. part. 2. cap. 9.* Si ob culpam emphyteusi cadat, Dominum impensas lucrari, extra controversiæ aleam positum est *l. 2. C. de jure emphyt. Nov. 7. c. 3. §. 2.*


87. Quamvis a. nonnulla adhuc occurrant de quibus omnino dicendum fuisset, ut de expensarum probatione (de qua vid. *Menoch. de arbitr. jud. cas. 526. Barbof. solut. matrim. part. 2. l. 8. divortio. §. fin. num. ult. Gilk. in tract. de impens. part. 5. cap. 1.*) aliisque. Attamen filum hic abruptum & colophonem huic exercitio imponere tempus & ingenio-  
li vires monuere, quæ nobis generalem tantum hujus materiæ repetitionem & perlustrationem concessere: Si interim perperam quid positum & concinnatum deprehendatur, quisque pro intellectus aut scientiæ, facultate, facilitate & promptitudine, benevolè emendet, ommissa suppleat, meæque imbecillitati veniam det.

Summo sit Patri, cum Gnato, Flammine Sancto,  
Trino Unique Deo, gloria, laus & honos.

#### COROLLARIUM.

Scio de casu isto seridè fuisse dubitatum: Lucius Titius, integre & valetudine testamentum fecerat, ut oportet: hujus autem unius testamenti voluntatem eodem tempore solenniter comprehensam & completam, pluribus tabulis eodem exemplo scriptis, expresserat, ac alias in publico deposuerat, alias secum retinuerat: postea cum voluntatis pristinae & inprimis heredis institutionis pœniteret, illas quas secum retinuerat, ea mente & professione, coram duobus amicis facta, ut intestatur moreretur, incidit: Dubitatum, inquam, fuit an eo modo testamentum annihilatum & successioni ab intestato locus factus fuisset? Pro ratione negandi afferebatur regula juris in *l. 35. de R. I.* & autoritas inprimis *Carpzovij 6. respons. 6.* qui eam regulam de revocatione quidem testamenti, non incisione, generaliter tamen inducit: quasi testamentum nullo alio modo rescindi posset, quam quo conditum fuit. Sed affirmativa clarissima Pauli nota nititur: ut sanè multi casus certè jure definiti sunt, de quibus aliquando frivolis rationibus decertatur. *Cujac. ad l. ult. C. de præscript. long. temp.* Regula autem *d. l. 35.* nequaquam absolutè, sed tantum comparatè est accipienda, *v. l. ult. de his que intestam, del. Locam. ad §. 7. l. Quib. mod. testam. inf. lit. 4.*

Ad



Ad Præcellentem Dominum Autorem &  
RESPONDENTEM hujus  
disputationis juris de  
EXPENSIS.

**S**ic est: quæ illustri planta de semine surgunt,  
Fastidire solent humilis vestigia Campi,  
Cumq; eluctata terram de vertice relinquunt,  
Aerei superant sinuosa Cacumina tractus:  
Quid Tu? qui similis generosa de indole planta es,  
Excusso terra imperis, ad sublimia tendis.  
Scilicet hoc proprium fuerat virtutis avite:  
Hoc Patria proprium; quam Vis & Diva coronat  
Gloria. Macte Animis. Sic scilicet itur ad Astra.


Quod ut fiat, primo & illustri  
conatui Amicissimi sui  
vovet

Fridericus Arndt,  
SS. Theol. Stud.


X 261.5889

VD 17









REPETITIO MATERIÆ 383  
DE  
**EXPENSIS,** 1644, 8.  
19

QUAM  
A. D. T. O. M.

*Geop. XXI*

SUB  
PRESIDIO  
Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi  
VIRI

DN. JOH. OTTONIS TABORIS,  
J. U. D. IN INCLYTA ARGENTINENSIVM ACADEMIA  
Juridicæ Facultatis Senioris, Codicis & Consuetudinum Feudalium  
P. P. meritissimi, Dn. Mœcenatis, Præceptoris,  
& hospitis ætatem colendi,  
venerandi,

*Publica eruditorum censura ventilandam  
submitte.*

In auditorio majori.

Die 16 Decembris.

JOACHIMUS WICHMAN,  
Hanaburgensis.

*Author & Respondens.*



ARGENTORATI.  
Typis JOHANNIS REPPIL.

ANNO M. DC. XLIV.